



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Dei Immortalis In Corpore Mortali Patientis Historia

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1694

Caput XII. Christus in Cruce.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49178](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49178)



Cant. 4. 3  
Exod. 3.

quis similis in infirmitate, quis similis in potestate? Quis similis in paupertate, quis similis in divitiis? Quis similis in ignominia, quis similis in gloria? *Vadam ergo ad montem myrrhe, & videbo visionem hanc magnam. Respiciam in faciem Christi mei, & inspiciam, & faciam secundum exemplar, quod mihi in monte monstratum est, ut tecum patiens, & moriens in monte Calvaria, tecum in monte Oliveti ascendam ad coelos: ibi tandem te aspiciens & inspiciens, aspiciens humanitatem, inspiciens divinitatem, clamabit tota aeternitate anima mea, & omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi.*

## C A P U T XII.

### Crucifixio.

#### §. I.

*Pendet medius inter latrones.*

**F**ilius Dei, qui medius est inter Patrem & Spiritum sanctum, operans salutem nostram in medio terrae, noluit mori nisi in medio duorum latronum. Hoc est quod asserit Evangelista:

Luc. 23.

33.

Ioan. 21.

18.

*Ibi crucifixerunt eum & duos latrones: unum a dextris, & alterum a sinistris, medium autem Iesum.*

Hic verè in medio consistit virtus, dum pendet in medio latronum, mundi salus. Factum id sive Præsidis imperio, sive Judæorum consilio, ut Christi innocentia opprimeretur, nec spectatores dubitarent, eum esse reum criminis, atque  
adeò



adeò Christo cum latronibus commune esse flagitium, cui commune erat supplicium. Expende hic quàm pulchrè respondeat Christi ingressus in mundum, & egressus è mundo; ipsius ortus & occasus; vitæ ejus Alpha, & Omega: principium, & finis; nativitas & mors. Sunt planè parallela. In utroque nihil aliud apparet, nisi extrema humilitas & paupertas. Ingressus in mundum, nascitur in vilissimo stabulo, quod erat receptaculum jumentorum: egressus è mundo moritur in abjectissimo monte, qui erat sepulchrum latronum. Cùm nascitur, vagit in fœno: cum moritur, gemit in ligno: nascens ponitur in præsepio, moriens sternitur in patibulo: nascens vincus est pannis, moriens fixus est clavis: nascitur inter duo jumenta, moritur inter duos latrones. Verè Christus factus est usque ad mortem non tantum obediens, sed humilis, eligens omnia quæ erant ad majorem cumulum & infamiæ, & ignominia. Quod pronum erit intelligere expendenti & locum ubi, & tempus quando, & modum quo pati voluit, ac mori. Pati voluit velut in celeberrimo mundi teatro. Id fuit Jerosolyma, urbs metropolitana, frequentissimo cive culta, totius Judææ umbilicus, universi orbis velut Orchestra: quam ideò elegit, ut scæna totius tragediæ fieret orbi conspectior, & latius mors ejus divulgaretur. Erat ea urbs per id tempus seminarium pietatis, sanctitatis gymnasium, & religionis veluti delubrum: quæ populos in se contineret legi Dei adstrictos, cultores sanctorum dogmatum, beneficiis copiosè in eos effusis Deo obligatos. Cui affinis & contiguus erat mons Calvariæ: locus infamis latronum, prædonum, ac sicariorum suppliciiis, ac suppliciorum instru-

**Initium  
& finis  
vitæ  
Christi  
sunt pa-  
rallela.**

**Ignomi-  
niam suæ  
Christus  
studiosè  
affectat.**

men-



mentis, furcis, rotis, ac crucibus. Si spectas tempus; elegit illud, quod inter omnia totius anni tempora, religionis cultu, hominum frequentia, & caremoniarum ritu est princeps: videlicet Pascha; quo undæ hominum acervatim confluebant, ut videlicet non tantum urbis illius incolæ, per vicos & compita; sed aliorum locorum advenæ, per pagos & oppida famam tam probrosæ mortis ubique disseminarent. Fuit itaque crucifixus in publico illo ac decretorio Parasceves die, non sine sensu pudoris, ac dedecoris maximo: in illo loco, & temporis confinio, quo nullum ad exacerbationem supplicii, vel cumulum opprobrii potuit aliud ingeniosius deligi. Profecto vel nos Christiani decipimur, vel nos Christus decipit. Nos qui illa eligimus, quæ Christus rejecit: quæ illa rejicimus, quæ ipse elegit. Necessè est ergo nos errare, quia aliã viã incedit, qui est *Via*; alia docet, qui est *Veritas*; alio modo vixit, qui est *Vita*. Quàm studiosè Christus omnia quæ sunt ad augmentum gloriæ, celat; quæ ad ignominiam, manifestat. In monte Thabor gloriæ suæ pompam ostentaturus, tres tantum assumpsit discipulos, cœlestis illius spectaculi testes: in monte Calvariæ, ignominiam suæ apparatus, coram refertissima hominum multitudine aperit. Illic stetit inter binos Prophetas Moysen, & Eliam; sed nullo propè spectante: hic pender inter duos latrones, toto spectante mundo. Nos contra, quidquid cedit ad ignominiam nostram, involvimus tenebris, regimus parietibus, sepelimus oblivione, summâ curâ oculimus. Quidquid vergit ad gloriam, palam, in luce, in sole, in conspectu omnium, in oculis totius mundi peragimus. Claritatem generis ostentamus ubique, at-

Gloriam  
suam om-  
nes  
manife-  
stant, ig-  
nominiã  
celant.

latrones, toto spectante mundo. Nos contra,  
quidquid cedit ad ignominiam nostram, invol-  
vimus tenebris, regimus parietibus, sepelimus  
oblivione, summâ curâ oculimus. Quidquid  
vergit ad gloriam, palam, in luce, in sole, in con-  
spectu omnium, in oculis totius mundi peragi-  
mus. Claritatem generis ostentamus ubique, at-

figen-



figendo in atriis majorum fumolas imagines. & ceras, & gentilitia stemmata, & honorum insignia. Nemo verò, qui nobilis tantum audit, prodit se natum à cerdonibus, bubuleis, porcariis, opilionibus. Scientiam non satis est mente circumscriptisse; animo complecti; sed illius præbendum est specimen in luce Academicâ, in publicis gymnasiis, in confessu eruditissimorum hominum. Si quis in campo nobile aliquod edidit facinus, sexcenties in conviviis, in triviis, in conventiculis, plenis buccis, ut alter Thraso, decantabit: si quis ex pugna, relictâ turpiter parma, fugerit sibi soli, id reservat: ne quidem sub rosa ulli hoc dicetur, nulla umquam illius fuit mentio, alta ejus erit oblivio. Sic quæ cedunt ad nostram gloriam magno celebramus præconio; quæ ad ignominiam, dissimulamus silentio. Non sic Rex gloriæ. Moritur summo cum dedecore in nobilissima totius orbis terrarum arce, die totius anni celeberrimo; in excelssimo loco: in ipso meridie, coram refertissima hominum multitudine, in patibulo, duos inter latrones. Verè hic dicere potes, ô Jesu: *Humiliatus sum nimis.* Sed quia te, ô Jesu, humiliasti usque ad probrosum illud Crucis lignum: Deus exaltavit te super id omne, quod est magnum: Quia tanto cum probro pependisti medius inter cælum, & terram, data est tibi omnis potestas in cælo & in terra: Quia crucifixus es in medio latronum, dominaris in medio Angelorum: Quia tam injustè judicatus es, & condemnatus ab iniquo Judice ad mortem, constitutus es Judex vivorum, & mortuorum. Tu qui nunc mei causâ medius pendes inter latrones; dum Judex medius sedebis inter hædos, & oves: *Inter oves locum presta, & ab hædibus me sequestra.*

Ps. 37. 8.



## §. II.

## Titulus Crucis.

**P**rodiderat Pilatus Christi innocentiam aliquoties coram Judæis suo testimonio : sed multò maximè augustissimo illo , quo crucem honoravit, & crucifixum exaltavit, titulo.

*Scripsit autem titulum Pilatus, & posuit super crucem. Erat autem scriptum: Iesus Nazarenus, Rex Iudeorum.*

*Matt. 22.  
20.*

Titulus  
Crucis  
indicat  
Christi  
humani-  
tatem &  
divini-  
tatem.

*Joan. 19.  
21.*

Ponderate hic arboris hujus tam inclyto titulo condecoratæ prodigia. Luber hic quævere, quod olim Christus : *Cujus est imago hæc & superscriptio?* in titulo ? Imago est infirmi, titulus est medici, imago est mendici & pauperis, titulus est nobilis & divitis; imago est vilissimi servi, titulus est potentissimi Domini; imago est Principis latronum, titulus est Regis Angelorum; imago est malefactoris, titulus est Salvatoris; uno verbo, imago indicat esse hominem, titulus significat esse Deum. Hic ergò gemina se prodit Christi natura : humana & mortalis in crucis patibulo, divina & immortalis in crucis titulo. Frendent interim & strident dentibus Judæi, rumpuntur præ iracundia, quâ illos accendebat hujus tituli gloria; instant opportunè, importunè apud Pilatum, ut vel deleat penitè totum titulum, vel mutet tituli elogium. *Noli, inquit, scribere, Rex Iudeorum; sed quia ipse dixit: Rex sum Iudeorum.* Perstat in suo Pilatus decreto. *Quod scripsi, scripsi.* Statutum est, Jota unum, vel unus apex non eradetur. Hoc titulo Pilatus & excusat Christi innocentiam, & accusat Judæorum malevolentiam. Nam



Nam primum verbum, quod est Iesus, Salvatorem significat. Si ergo est Salvator, non erat crucifigendus. Secundum, Nazarenus, id est, Floridus. Flos autem, innocentiae est symbolum: si ergo innocens, non erat morte mulcandus. Tertium, Rex. Si Rex, non erat infami afficiendus supplicio. Postremum, Iudaorum, id est, populi Deo chari & dilecti, & inter nationes pietate insignis: non ergo scelus hoc tam execrandum erat perpetrandum ab illo populo. Quot in hoc titulo sunt verba, totidem sunt ora, quae Christi praedicant elogia, & Iudaorum condemnant flagitia. Tu qui illo magnifico Christiani hominis gloriaris titulo, discute num Christi opera respondeant Christiani titulo. Christus Iesus, id est Salvator. Vide num Salvator sis animae tuae? Mentiris identidem: jam non salvator, sed interfektor es animae tuae: *Os enim quod mentitur, occidit animam.* Occidere est perdere, non salvare. Vide an sis Nazarenus, id est, Floridus: Flores sunt in hortis, pratis, viridariis, locis amœnis; non in cubilibus, non in volutabro, non in sterquilinio inter siliquas porcorum. Qui in illis commoratur non est Nazarenus, sed scarabæus. Vide an Rex sis? Servire peccatis non est regere, sed subesse. Si placeat titulus Christiani, non displiceant opera Christi, O quam discrepant sæpè Christianorum opera & nomina! Audiamus hac de re loquentem Salvianum: *Nos, qui nos Christianos esse dicimus, prodimus vim tanti nominis vitio pravitatis. Omnino enim nihil prodest nomen sanctum habere sine meritis: quia vita à professione discordans abrogat illustris tituli honorem per indignorum actuum vilitatem. Vide, cum penè nullam Christianorum omnium partem, penè nullum Ecclesiarum omnium angulum, non plenum omni*

Nomen  
Christi  
Christiani  
consonet  
cum  
operibus  
Christi.  
Sap. I. II.

De Gal.  
ber. 63.



offensione, & omni lethalium peccatorum labe videamus, quid est in quo nobis de Christiano nomine blandimur? Cum utique hoc ipso magis per nomen sanctissimum rei sumus, qui à sancto nomine discrepamus. Nam & idem plus sub religionis titulo Deum ludimus, quia positi in religione peccamus. Hæc ipse. Immunis esse debet ab omni graviore contra Christi leges crimine, qui vult innocenter gloriari Christiani nomine. Sed converto me à Christianis ad Christum, & ad ejus gloriosum Crucifixi titulum. Primum quod oculis in hoc titulo occurrit, est nomen illius, qui omnibus in omni necessitate succurrit, JESUS. O JESU! nomen suavissimum, quia pascis; nomen potentissimum, quia defendis; nomen splendidissimum, quia illuminas; nomen jucundissimum, quia delectat. O JESU, verè Nazarene, flos pulcher colore, fragrans odore, dulcis sapore. O JESU, Rex non jam Judæorum, quia non habent illi Regem, nisi Cæsarem, hoc est dæmonem; sed Rex Christianorum. Esto nobis stantibus manus, ne cadamus; jacentibus salus, & resurrectio, ne pereamus: esto ubique JESUS, id est Salvator, & salvi erimus.

## §. III.

*Primum Verbum Christi in Cruce.*

CHRISTUS, qui unus est magister omnium, vix ascenderat funestam Crucis cathedram, cum illicò aperiens os suum, qui ex ore Altissimi prodierat, cœpit loqui, & loquendo docere mundum, ut dedoceret omnes ea quæ sunt mundi. Erigamus non tam aures, ut excipiamus, quam mentes, ut altè nobis imprimamus verba æterni Verbi.



IESUS autem dicebat : Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. *Lut. 23<sup>o</sup>*

34.

Hic demum ostendit Filius Dei, se esse Patrem misericordiarum. Clamabat cœlum caligine obtenebratum, clamabat terra moribus tremefacta, clamabant Angeli vindictæ cupiditate accensi; clamabant dæmones hominis puniendi avidi, clamabat tota rerum natura, moriente auctore vitæ, cum illis in Apocalypsi: *Vsquequo Domine (sanctus, & verus) non iudicas, & non vindicas sanguinem Filii tui de iis qui habitant in terra? Pater è cœlo vindicaturus Filii sui innocentis sanguinem, descenderat, & è spisso ardentium nubium globo, fulminatrici linguâ intonabat Iustitia illa apud Ezechielem verba: Finis venit, venit finis super quatuor plagas terræ. Venit tempus, prope est dies occisionis. Nunc finis super te; & immittam furorem meum in te, & iudicabo te juxta vias tuas: & ponam contra te omnes abominationes tuas. Afflictio una, afflictio ecce venit: finis venit. At Filius Dei interea in lecto doloris, cogitabat cogitationes pacis, non afflictionis. Ipse ergo languinolentos, & moribundos oculos ad Patrem suum, Judicem nostrum, convertens, primò, clamore valido cordis tacitè hæc ad Patrem: Pater, opus quod dedisti mihi ut facerem, ferè consummavi. Tua fuit voluntas ut è cœlo descenderem, factus homo, ut novem mensibus in utero Matris abditus laterem; nascerer in stabulo, jacerem in præsepio, fugerem in Ægyptum, subditus essem parentibus, Consummavi. Iussisti ut 33. annis hoc in mundo pro salute mundi laborarem, & in sudore vultûs mei quærerem ovem perditam, & in fame & siti, in frigore & nuditate, in paupertate, in humilitate: consummavi. Calicem, quem dedisti mihi Pa-*

*Apoc. 6.  
10.**Ezech.  
7:1.*



ter, jam ferè exhausti: exiguum mihi adhuc super-  
 est tempus, quo vivam. Unum jam te rogo, ô Pa-  
 ter, per illum quem effudi sanguinem, per om-  
 nia, quæ audiui, opprobria, per tot, quas excepi,  
 alapas, per flagella toti inflicta corpori, per spi-  
 nas altè impressas capiti, per clavos manibus, &  
 pedibus infixos, per hanc, in qua morior, crucem.  
 Unum oro, ô Pater, & hoc sit quod oro, postre-  
 mum. Non ut mihi dolores imminuas oro; auge  
 potiùs: non ut Matrem consoleres, tamer si ma-  
 gna velut mare est contritio ejus, nec ut disci-  
 pulum illum, quem diligo, in curam tuam susci-  
 pias. Sed ô Pater, si sim Filius tibi dilectus, si um-  
 quam tibi complacui, si velis, ut cognoscat mun-  
 dus quia diligit Filium, nunc ostende, dum illum  
 orantem exaudis. *Pater, dimitte illis.* Ne illos peri-  
 re patiaris, pro quibus ego patior: medere illis,  
 qui me vulnerant: vivant illi, pro quibus morior  
 ego. Da Pater, illis veniam, à quibus Filius tuus  
 accepit injuriam. Non attendas, quòd per illos  
 moriat, sed quòd pro illis moriar. Et ne gratis  
 putes me orare, accipe causam orandi: *Non enim  
 sciunt quid faciunt.* Sciunt quòd crucifigant, ne-  
 sciunt quem crucifigunt. Si illos accuset malitia,  
 excuset ignorantia. Idèd ignosce illis, quia non  
 agnoscor ab illis. Scio, clementissime Iesu, dimit-  
 tis nobis debita nostra, ut & nos dimittamus de-  
 bitoribus nostris. Hoc vivens iussisti præcepto,  
 hoc moriens docuisti exemplo. Quid tu ô vit  
 sanguinis, ages coram Iudice, qui inimicis & ig-  
 noscere præcepit, & ipse ignovit? *Non est discipu-  
 lus super Magistrum, nec servus super Dominum, nec  
 Filius hominis super Filium Dei.* Quid ergò hic  
 Matt. 10. dices? Hostis mihi læsit famam, sed non tulit vi-  
 tam: offendit me verbis, non cecidit virgis: im-  
 petijt me dicitur, sed non percussit alapis: mi-

Inimicis  
 igno-  
 scendū.  
 Matt. 10.  
 24.



natus est mihi manibus, sed non ligavit funibus:  
 Optavit mihi mortem, sed non egit in crucem.  
 Video vultum tuum; sed nulla video sputa: aspi-  
 cio corpus; sed nullum invenio vulnus, caput est  
 integrum: nullas invenio plagas in medio ma-  
 nuum tuarum; genæ non sunt lividæ, non evulsi  
 capilli; non cruenta frons. Et ut esses percussus,  
 merebaris, quia peccator: Hic autem innocens  
 est, quia Salvator. Ipse qui est supremus Legisla-  
 tor, ut etiam percussus ignosceres, Iussit; Ipse vixit  
 præceptum: ipse quod tibi præceperat, fert, con-  
 tempsisti exemplum. Sed Christi doctrina, scio  
 quia tibi est stultitia; polles enim carnis solius  
 prudentiâ. Sed audi Apostolum: *Prudentia carnis Rom. 8.*  
*mors est. Et iterum: Sapientia carnis inimica est Deo: 6.7.*  
*legi enim Dei non est subiecta.* Quare non benè con-  
 veniunt, nec in uno corde morantur Sapientia  
 Patris, & sapientia carnis: Doctrina Christi, &  
 doctrina mundi. Illa dicit: *Benedicite persequentibus Matt. 5.*  
*vos, Hæc: Maledicite. Illa jubet: Diligite inimicos 34.*  
*vestros. Hæc, Odio habebis inimicum tuum. Illa dicit:*  
*Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe*  
*illi & alteram. Hæc, Oculum pro oculo, dentem pro*  
*dente. Hæc mundi sapientia, stultitia est apud*  
*Deum. Alia tradit præcepta Magister veritatis è*  
*pulpito Crucis. Hæc nos auribus excipiemus, &*  
*operibus exprimemus, ut simus legum tuarum*  
*non tantùm auditores, sed factores. Tua omnis*  
*actio nostra erit instructio: Tua facta nobis sunt*  
*documenta: dicta, oracula. Benè fecisti omnia:*  
*hoc est Bonitatis. Benè dixisti omnia: hoc est Ve-*  
*ritatis. Benè à te facta, tamquam optima seque-*  
*mur: Benè à te dicta, tamquam verissima crede-*  
*mus: ut à te, qui ut maledictus pendes in ligno,*  
*aliquando audiamus: Venite benedicti.* *Matt, 25.*